

DISPUTATIO ETHICA
De
LIBERALITATE
quam

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosoph,
in inclyta Academiâ Wittebergensi


Sub
Divini numinis Auspicio

PRÆSIDE
M. JACOBO BOLIO,
Borussio.

Subjicit
WOLFFGANGUS PFEIFFERUS,
Altenburgô - Misnicus.

In Auditorio minori.

Ad diem 5. Augusti.



WITTEBERGÆ,
E chalcographéo JOHANNIS HAKEN,
ANNO M. DC. XLVI.

~~49.~~

Coll. diss. A
12, 49

a. Xll. 49

Ad
Prestantissimum & Eruditissimum
DN. hujus Disputationis Ethicæ
RESPONDENTEM

Fautorem ac Amicum suum suavissimum

S Is ne aditum virtutis amas penetrare? canora
Fistula sicnè sonat thema subinde novum
Scribis materiam quæ sit mens libera dandi
Liberiore modò ritè tueris eam.

Libera corda decet spe liberiore potiri

Namq; hilari gaudet (crede) datore DEUS.

Bis dat qui citò dat, donumq; ex mente dicantis

Spektandum est, doctis doctaq; charta sat est.

Fistula porrò crescet, studiis porrò occine dignum

Thema sacris, fac est hâc placuisse tubâ.

gratul. de proper.

M. Christophorus Giebra, Mulh. Thyr. P. L.

Cæs. & Servestanæ Scholæ Lutheranorum

Rector.

Weil wir noch leben in Blühender Jugend
muß seyn erstiegen durch arbeit vnd fleiß
Von uns die hohe Burgk Edeler Jugend
denn durch viel klippen / Blitz / Hagel nicht weiß
nauffwärts zusteigen / der Krafftlos vnd mare
vnd ganz zur erden gebogen sich hat /
Dahin herr Pfeiffer sich längsten gezwungen
vnd angereizet das Zärtliche Blut /
Das es mit kräftigen fleisse gerungen
nach dir O Jugend du Edeles gut /
Dem man noch heute die höchrichte Bahn
Schwitzend doch hurtig sieht steigen hienahn /
Drumb wird Er auch baldt die Enferne Pforten
öffnen / einnehmen den herlichen Sitz
daß man hier vnd auch an anderen Orten
rühmen muß seinen verstandigen Witz

Well

Weil er erkohren daß herligste Guch
So machet im Alter recht frölichen muth.
Dieses verfertiget gutmeinend seinen liben
Landsman zu ehren

Elias Sätler / von Altenburg.

Ad Praestatissimum Dominum RESPONDENTEM,
de LIBERALITATE disputaturum.

Anagramma cum anno XLVI incluso.

VVolfgangVs Pfeifer, Theo. S.

Transpositio spirante elisa.

FULGEO: VOS PIGNUS AFFERTE.

Eolutio:

Cujus Ego pretij, Tibicen disputat ille:
En tu docta cohors, forsitan aris eget.
Dando quidem celebri sat famâ FULGEO, nullus
Ast nunc in mundo me retinere cupit.

Prodigus haurit opes, nimium comparcit Avarus,
Pareri monitis, hostis uterq; vetat.

VOS ô Pierides, ne sitis in ordine neutro,

Mox AFFERTE bonum PIGNUS huicce: GEMIT.

M. Christoph. Graumuller, Eisenberga-Osterlandus.

Praestantissimo nec non Doctissimo
DN. WOLFGANGO PFEIFFERO
Fautori & Amico exoptatissimo,

O Scine felici scandas, PFEIFFERE, cathedram,
Defendasq; datas non sine laude theses.
Mox erit, ut merces maneat TE splendida, fronde
Palladiâ decoret Praeses Apollo caput.

festinans adposuit

M. Nicolaus Gresius, Hermundurus.

F I N I S.

Boni hortulani est, non tantum probè nosse, quomodo & quò tempore herba hæc aut illa inferi amet, sed etiam, quo tempore evelli succi & vigoris plena reservari velit; sic rerum Ethicarum studiosum, parum juvabit, naturam virtutum etiam ad sollicitos digitorum articulos posse appendere, nisi itidem, earundem usum norit, quid juvat Reipublicæ sedulitas, nisi & comes ei sit liberalitas? Nam cum voluptas ex divitiarum fructu orta, vehementer animum movere possit, valido freno moderanda est, ne hominem exorbitare faciat, quod Lycurgus Spartanorum dictator videns, lege vetuit, liberos homines quicquam ad rem pecuniarum spectans contrectare & attingere, ut Xenophon in libell. de Reipublica Lacedemoniorum refert, videbat sc. sapiens, quanti Reipublicæ interesset, divitiarum & auri legitimus usus, quod & Plato, licet alio sensu lib. 3. de Reipubl. Atheniensibus suasit: sed non suasisset saltem, verum totis viribus imperasset, si nostra tempora attigisset, & videret, tot ingenia, solito & pristino liberalitatis sole destituta, planè marcescere. Quò ergò virtus hæc, hisce temporibus magis necessaria, eò ejus pertractatio nobis visa fuit jucundior, in quâ pertractanda, ut inoffenso, quod ajunt, progredieremur pede, ab ipsa *ὀνοματολογία* exordiemur, ex nominis enim descriptione, distinctior sæpè ipsius rei cognitio fuit, ut prolixè satis, & ut solet, eruditè disputat noster venerandus Senior, Philosopho-Theologus, Reverendus perquam & Excellentissimus Dn, D. Jacobus Martini in Pædia Logic, lib, 1. c. 3. præc. 3.

THES. I.

Ex Authoribus Classicis, qui hanc virtutem pertractarunt, vox Liberalitatis; varia sortitur notationis hujus rationes, quas fortè non incommodè, quintuplici classi includemus, hoc in antecessum notantes, Vocem Liberum non accipi, pro eo, quod nulli subjacet, uti Deus vocatur liberrimum agens; nec pro eo, quod ab opposito quodam est indeterminatum, uti materia prima solet dici libera; neque pro spontaneo, sed pro eo, quod ad utriusque contradictionis partem, se indifferenter habet, i. e. quod dato Objecto, & omnibus requisitis, tamen actionem potest suspendere.

A

Qui-

Quidam vocem Liberalitatis à *subjecto* derivant, quod liberale so-
 let dici. Vox enim Græca ἐλευθεριότης & ἐλεύθερος propriè inge-
 nuitatem & ingenuum notat, ut Plutarchus ἐλευτέρους παῖδας,
 liberos seu, ingenuos vocat *II vel ab Objecto*, quod circa rem hone-
 stam, hominique liberali & ingenuo dignam versetur. Liberales
 enim sumus in ijs, quæ dare vel non dare nobis integrum & libe-
 rum est, & hac ratione differt à justitia, quæ debitum reddit.
III. A liberalitatis fine; & hi liberalitatem à liberando derivant,
 quòd beneficia à liberali profecta, alios à necessitate liberent.
 Notant enim Excell. Dn. D. Jacob. Mart. p. 260. lib. 2. prorsus ad il-
 lud comparata liberalitas, ut alijs seruiat, & ipsorum necessitati
 succurrat. *IV. à forma & liberalitatis natura*. Dat enim ἡδέως καὶ
 ἀλύπως h. e. dat libenter & sine dolore. *V. Ab Effectu*, quod pos-
 sessores suos liberales faciat,

THES. II.

Sumitur verò liberalitas 1. *Generalissime*, pro quavis pecuniæ eroga-
 tione, non attentis debitis circumstantijs. Hanc non immeritò
 quis vocarit plebeam, uti jam non infrequens, vitia virtutis speci-
 em mentiri, sic nihil ferè frequentius, quàm gulonem, & Quin-
 tum Fabium, Fabij Rutiliani filium, patrimonium devorantem,
 aut Ctesippum Chabriæ filium, paterni sepulchri etiam, in quod
 populus Atheniensis mille drachmas impenderat, lapides venden-
 tem, gulaq; dilapidantem, vocare liberalem, imò parasitum, si
 egregium nactus fuerit, liberalissimum audire. 2. *Generaliter*, prout
 beneficentiam, benignitatem, officiositatem, omnemq; inclu-
 dit virtutem, ubi vel pecunia danda & eroganda, vel etiam acci-
 pienda est, sive opes fuerunt majores, sive minores sive
 moderationem efficiat in κτήσει sive in ζήσει. vel 3. Speciali-
 ter pro virtute occupatà circa opes mediocres, & prout magnifi-
 centiæ contradistinguitur.

THES. III.

Et cum Definitio, cujusvis rei naturam nobis sistat, ab Aristo-
 tele eam sumemus in utroq;. Distinctis verò in locis, hanc virtu-
 tem definivit. Lib. 4. Ethic. c. 1. dicit liberalitatem esse μεσότητά πρὸς
 ζημιῶν δόσιν καὶ λήψιν. Lib. verò 1. Magnor. Moral. c. 24. dicit
 esse

esse μεσότην ἀσωτίας καὶ ἀνελευθερίας : & 3, Eudem. 4. μεσότην
 πρὸς χρημάτων κτήσιν καὶ ἀποβολήν; & lib. de virtutibus δρετὴ ψυ-
 χῆς ἀδάπανος εἰς τὰ καλὰ & lib. 1. Rhet. 9. δρετὴ πρὸς χρημάτων
 ὀποητικῆ. Inprimis hanc virtutem lib. 4. de moribus latè & accu-
 ratè pertractavit Philosophus, c. 1. c. 2. Definitionem c. 3. Extrema e-
 jus ostendit. In quibus Definitionibus, quæ reipsâ coincidunt, li-
 cet quidam desiderent verum genus [quod non est a mediocritas,
 sed potius Differentia) aliudq; substituunt scil. virtutem in me-
 diocritate consistentem, nota tamen nimis est, præcisio illa Au-
 thorum, quo nota nimis genera omittunt, & per id, quod proxi-
 mè rem attingit, definiunt, quæ Magiri Disp. VII. Eth. th. III. &
 Goclenij de tropo definit. can. 16. responso est.

THES. IV.

In his positis definitionibus, nihil in re diversi ponentibus, &
 pluribus alijs, ex authoribus adhuc citandis, genus ponitur vir-
 tus moralis sive habitus moralis. Etsi enim igniculi quidam vir-
 tutum, & exigua divinæ imaginis rudera, nobis reliqua sint,
 quæ & ipsi Ethnici saniores, solo rationis lumine ducti agnove-
 re, teste Cicer. lib. 5. de finibus; Virtutes tamen ipsæ, nobis à natu-
 râ insitæ non sunt. Ea enim, quæ homini sunt naturalia, nulla
 consuetudine, nisi quodam extrinseco interveniente obstaculo,
 mutari queunt. Progredimur ulterius; Habitum mora. m. faci-
 mus genus, quò eam contradistinguamus virtutibus intellectu-
 alibus, ut sunt juxta Philos. lib. 3. Eth. c. 2. Intelligentia, scientia,
 ars, prudentia, Sapientia.

THES. V.

Rationem formalem virtutis in genere, constituit mediocrita-
 tem, quam lib. 2. c. 5. multis rationibus firmam & stabilitam reddit.
 Virtus in quantū circa opes accipiendas, cōservandas versatur, for-
 maliter quidē una, materialiter verò, respectu ipsius quantitatis o-
 pum gemina. Ope enim vel magnæ, in quibus reperiuntur 1. Me-
 dium & vocatur μεγαλοπρέπεια Magnificentia & μεγαλοπρεπὴς
 magnificus, 2. extrema in excessu ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία in de-
 fectu μικροπρέπεια; vel sunt mediocres, in quibus pariter duo ob-
 servantur. 1. Medium liberalitas, quæ complectitur χεῖρσ δαπάνην

& δόσιν, κλήσθ' verò λήψιν & Φυλακὴν. 2. Extrema, de quibus postea. Habemus E. in hacce virtute, 1. formam quasi genericam, & omnibus virtutibus communem, mediocritatem scil. 2. specificam & propriam, talem mediocritatem quæ animadvertitur in opibus mediocribus. Jam pauca de objecto adhuc dicenda erunt.

THES. VI.

Objectum duplex liberalitas sibi poscit i. Internum; quod in ipso homine est, & est pecuniæ cupiditas, seu Φιλαργυρία. Ea enim domari, & sub imperium ab hac virtute reduci opus habet. Ab alijs dicitur propinquum, quia ob id, primò suscipiuntur actiones, 2. Externum, & sunt χρήματα. Siebenthal exercit. 9. Ethic. p. 97. Externum illud subjectum facit, vel verum & rigorosè dictum tale, vel analogon. Ad externum positivum refert i. pecuniam numeratam & id vocat primarium, ad secundarium omnes possessiones, ut vinea &c. Analogon verò dona animi, quia simile quiddam in ijs reperitur, quod in donis externis, fundamentum hujus suppeditare videtur Aristoteles lib. 4. Eth. Nicom. c. 1. χρήματα λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίματι μετρεῖται h. e. omnia ea dicimus χρήματα, quorum æstimationem nummus metitur. Hinc Heliodus χρήματα δ' εἰν οἴκῳ πάντ' ἀεμενα ποιήσασθαι; vocat instrumenta ad agrum colendum necessaria. Duplex verò vocis hujus reddi poterit ratio, cur ejusmodi res dicantur χρήματα διὰ τὸ χρῆσθαι utendo i. quia extra usum nullius sunt valoris, & eis totam naturam usus facit, utpote qui eis dignitatem conciliat. 2. quod animus utentis tales facit, qualis ipse est, & pro diversitate usus vel bona vel mala esse possint. Analogia verò illa, in donis animi, in hoc consistit, quod Sapientia etiam abuti queamus, dum vel ea laboranti proximo non succurrimus, vel minus commodo tempore eam prodimus.

THES. VII.

Ut verò legitimè circa Objectum hoc versetur Liberalitas i. Dantem. 2. Accipientem certis legibus constringemus. Et i. quidem dantem; ubi consideranda ejus persona, num sit habilis ad dandum, num verò minùs! A liberalitate arcentur pueri, minorenses, qui
sunt

sunt sub patria potestate, omnesque illi, qui vel ob ætatem, vel ob affectum quendam animi, non sunt sui juris, utpote omnes, qui tutores agnoscunt, aut patronos, ut sunt pupilli & mente impotes. Addendi etiam ij, qui alterius nomine rebus præsent. De tuis enim largitor. In habili verò persona spectatur 1. Modus, s. Animus, ἡδέως enim & ἀλύπως sine dolore liberalitatem exercet. Nam ut Arist. 4. Ethic. Nicom. c. 2. inquit, τὸ γὰρ κατὰ δέξασθαι ἡδὴ ἢ ἀλύπον ἢ κίρα δὲ λυπερὸν quod ex virtute fit, id cum voluptate quadam efficitur, nec molestum est. Hoc in hac virtute in primis observandum. Nam, ut egregie Senec. lib. 3. de benefic. c. 7. Beneficium ab homine duro profectum, est instar panis lapidosi, quem esurienti accipere quidem est necessarium, edere autem acerbum & molestum, quisque ergo ut monet Apostolus 2. Chor. 9. κατὼς παραρῆται τῇ καρδίᾳ μὴ ἐκ λύπης ἢ ἀνάγκης.

THES. VIII.

Cum autem error, tam in dando, quam in non dando committi queat [errorem enim non levem utrinque committi posse notat Arist. lib. 4. Ethic. c. 1. dum non dat dignis, vel dum dat indignis] Videndum est, ut non τοῖς τυχεῖσι sive promiscue quibusvis demus, si Senecæ illud reportare velimus: Beneficium dando accipit, qui in dignos confert. Egestas tamen, in hoc casu, dignitatem accipientis supleat, in primis in liberalitate speciali versante circa Eleemosynas. Kecker. lib. 2. syst. Ethic. c. 6. p. 847. In generali verò liberalitate, tria hæc liberalis observet, ut 1. Dat viris bonis à fortuna delusis, 2. Societate politicâ nobis junctis, 3. de nobis bene meritis, Ut monet Ebertus Collat. 6. Ethic. th. 7. ex Jov. Pontan. libr. de liberalit. p. 32. p. 330. Et in primis domesticis fidei.

THES. IX.

Considerationem personæ dantis excipit 2. Modus dandi. Ubi 1. Quantitas dandi, quæ æstimatur ex facultate dantis. Dandum ut inquirunt Græci ἐκ τῶν ὑπερχόντων καὶ κατὰ τὴν εὐσίαν, pro facultate, & pro viribus nostris. Modum verò paucis hisce verbis determinavit Philos. cit. 1. ἂ γὰρ ἐν τῇ πλήθει τῶν διδομένων τὸ ἐλαθέριον, ἀλλ' ἐν τῇ τῆς δίδοντος εὐξεί, h. e. non semper munera, sed animum attendendum esse. 2. Ex egeni qualitate, sanguine

enim nobis junctum, ipsa natura, fide addictum, religio, societate politica nobis obstrictum, ratio sana, pluribus & liberalius sublevandum, quam Externum, & tot vinculis nobis non obligatum nos docet.

THES. X.

Cum verò liberalitate prodesse velimus alteri, accuratè etiam hìc circumspiciendum erit, Vt (3) doni consideremus qualitatem. Quædam enim, nocitura impetrantibus negare beneficium est, ut dicit Senec. lib. 2. de benef. c. 14. & exorari in perniciem rogantium sæva bonitas est. Vti ergò febricitantibus vinum aut frigidam, furiosis ferrum, amentibus hoc quod contra se usus ardor petit denegamus; Sic etiam licet impensè rogantibus, si periculum eis nostra liberalitate accrescere potest, liberalitatis nostræ januæ claudendæ erunt, Ut Cic, lib, 1. Offic. monet.

THES. XI.

Modum imprimis in actione liberalitatis, determinat conditio loci & temporis, hujus quidè respectu, monet Cl. Wendlerus, quod sæpius & sine mora beneficia sint distribuenda, ob duplicem, quam ex Plinio & Cassio allegat rationem, sæpius scil. ne antiquiorum jacturam faciamus, & ut assiduitate & largitate memoriam exhibitorum eis refricemus. Deinde & sine mora simus liberales, cunctabundos enim graphice describit Terent. in Andr. Act. 3. Scen. 2. Id genus est hominum pessimum, impudentissima est illorum oratio, quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? Proximus egomet sum mihi. Ingratum autem est donum, quod inter manus dantis diu hæsit, *ἐμῆσαι χεῖρες γλυκερώτεραι*, veloces gratiæ sunt dulciores, rectè hos Kekerm. cit. l. vocat perinummos *Drückpfennige*. Locum etiam convenientem requirit liberalitas, cum egenis subvenit, amat solitudinem, non publicum, ne eos in ruborem demus, aut ne suspicionem ostentationis incurramus, sed cum personis honoratis liberales nos honoris gratiæ exhibemus, nõ detrahat publicū, quò eos prosequimur honor quo, magis fiat manifestus, & cū omnes honestæ actiones, honestatis gratiæ fiant, & liberalis actio in dando derterminabitur hisce: ne i. remunerationē & largitionem aut favorem emendicemus, ut solent ij, qui Principi

canem

canem, bombardas, gladios offerunt, de quibus candidè ut solet
M. Thomas Sagittar. Exercit. Exot. 13. Thes. 7. Dicam quod sentio,
ὅτι δόσιν ἀλλ' ἐμποροῦσαν faciunt, non dant τὴν καλὴν ἕνεκα, sed qua-
estus & lucri gratia. 2. ne ostentationis aut aucupandæ gloriolæ Ergo
quid erogemus. Contra eos enim Matth. 6. ipse salvator senten-
tiam ferē.

THES. XII.

His constrinximus dantem. Sed nec accipiens legibus Libe-
ralitatis exceptus est. Nam 1. accipit non undicunque, sed ab ijs
saltem, quos sine rei familiaris jactura, & famæ dispendio videt
posse sibi dare. 2. Non mendicæ in modum extorquet, & ad qual-
vis exprimendi occasiones attentus est. 3. nec aliena involat, cum
liberalem se ostendere animus est, non E. liberales, sed prodigi di-
cendi Imperatores illi, qui expillato ærario ludos instituerunt,
quos factò redarguit Titus Vespasianus, qui sua pecunia incendiâ
restituit, Coccejus Nerva, qui aurea vasa & Imperatoria vendi-
dit ornamenta, ut egenos, & annona conflictantes subditos serva-
ret teste Fulgoso lib. 4. p. 150.

THES. XIII.

Ratione personarum, solet liberalitas specialiter dispesci, in
liberalitatem, quæ exhibetur hospitibus & peregrinis, vocaturq;
græcè *ἑστιά* aut *φιλοξενία* hospitalitas: Estque, cum peregrinos &
adventantes libenter mensa & domo excipimus. Nam non so-
lum sacra pagina, speciem hanc liberalitatis nobis commendat,
Matth. 25. Rom. 12. sed & apud Ethnicos fuit sacrosancta, ita ut
contermini populi, infesta signa non antea contulerint in bello,
priusquam jus hospitij quod religiosè sibi jurarant, ritè iterum
solverent vid. Gell. lib. 5. c. 13. qui latè hoc, ostendendo officiorum
gradus, prosequitur.

THES. XV.

Hinc hospitalitatis leges natæ 1. in excipiendo hospite esse hu-
manum, quâ in re etiam horridi populi non exiguam reportant
laudem, de Tartaris, in primis de incolis Provinciæ Camul re-
fert M. Paulus Venetus lib. 1. c. 46. Orient. Lect. & Gvagnin. in de-
scriptione Moscoviæ, quod ad prodigium usque, erga se peregri-
nos

nos liberales testari possint, solent enim si hospitis lætiores of-
fenderint, non nisi munere quodam donatos dimittere. 2. In in-
struenda mensa non nimis esse parcum, in bono enim amico &
hospite quæstus est, quod infumitur. Inquit Clemen. in Lacon. a-
pud Plutarchum. 3. in detinendo hospite intempestivè non esse
gravem & importunum, sed juxta Homeri illud Odys. is. ἐθέλοντα
ἢ πέμπειν, volentem mittere,

THES. XV,

Erga extremè verò indigentes cùm se exerit libetalitas, solet
dici Eleemosyna, quàm S. Scriptura describit per intellectum su-
per pauperem Ps. 118. in quem locum Ambros. ille intelligit super
pauperem, qui ei largitur. Nam quid prodest misereri inopis, &
verbis pascere, nisi eidem largiaris, cave ne in loculo includas vi-
tam inopum.

THES. XVI,

Hospitis verò officia sunt 1. Captare occasionem opportuni
temporis, ne aut negotijs publicis occupatum, aut etiam alijs ho-
spitibus excipiendis deditum visitet. 2. Non pati ut aures in lin-
guam defluant, apud Laert. lib. 7. c. 1. Nam sicut rupes flumini, ne
se effundat, ita ratio linguæ obijeienda, ne temerè defluat, mo-
nente Erasmo. Reliqua requisita peti possunt ex p. 579. Ethic.
Heideri.

THES. XVII.

Extrema liberalitatis sunt 1. prodigalitas ἐν ὑπερβολῇ & avari-
tia ἐν ἐλλείψει peccans, quarum illa βαναυσία ἀπειροκαλία, hæc
verò ἀνελευθερία dicitur. Prodigalitatis extremæ exemplum est
Cleopatra, quæ juxta Macrobius lib. 3. Saturnalium c. 17. uno
hausto Antonio totam Ægyptum propinavit, avaritiæ verò sor-
didæ, & auri sacræ famis Paulus II. Papa de quo Platina in Vitis
Pontificium, cùm miseram suam sortem, quam ipse sub hoc Tar-
pæiæ rupis Vejove expertus erat, recensuisset, subjicit p. 340. In
colligendis pecunijs ita diligens fuit, ut omnia beneficia ijs con-
ferret, unde elici munus possit,

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Utrum paucitas, aut rei familiaris angustia, liberalitati alicujus quid possit derogare?

Afferentes & affirmativam statuentes, in duplici sunt differentia. Prioris generis, liberalitatem tantum pauperibus vendicant, posterioris verò, insuper & hoc adstruunt, dari pauperes, qui exiguum largiendo, cum ditissimo, magnos sumptus faciente, possint de liberalitatis palma decertare. Utrumq; nos hac quaestione inuimus & adstruimus, hisce fundamentis.

1. *Ex liberalitatis fundamenti concessione.* Voluntas enim, ut in omnibus civilibus actionibus attenditur, sic imprimis, in exercitio virtutis.

2. *Ex Inconvenienti aliàs subsecuturo.* Sequeretur n. viros optimos Reipubl. cum plerique angustia rei familiaris cōflicterentur, nō posse, æquè esse virtuosos, ac fœneratores. h. e. virtutem non in animo, sed in facultatibus externis sitam, & quò quis Piratarum etiam, aut Lurconum in elargiendo esset munificentior, eò etiam liberalior.

3. *E consideratione ipsarum opum,* quæ exercendæ liberalitatis medium & signum sunt, animum virtute hac imbutum demonstrantes, rei autem dignitas, non è signi aut medijs ratione, sed ex bonitate naturæ mensurari solet, sic nemo prætulit ferrum auro, quod malleis majoribus ad cudendum ferrum opus sit, Et signatum certè signo, quod semper alteriùs gratia est, præstantius est.

Adversæ partis argumenta facilè solventur his attentis 1. *quod pauper vel prorsus sit mendicus, vel plebeus & sequioris sortis homo,* quaeritur hic non tam de priori, utpote cujus est accipere potius, quàm dare, quàm de posteriori, quanquam & prior, si quid in sui generis pauperes erogaverit, à liberalibus in totum sequestrandus non erit. 2. *Quod alia sit ratio magnificentiae, alia verò liberalitatis,* ideoque argumenta ab illa desumpta, ad hanc evertendam & pauperibus denegandam nihil concludunt, Magnificentia enim, non consideratur tantum ratione personæ, sed & rei, utroque modo pauperi repugnat, destituitur enim primo magnis sumptibus,

B dein,

deinde non novit iisdem uti, ob ignorantiam honorum, quos nunquam consecutus est. De liberalitate verò semper valet illud Augustin. homil. q. in Johann. Ante Dei oculos, non est manus vacua à munere, si arca cordis plena est bona voluntate.

QVÆSTIO. II.

*An rerum usus, præferendus sit divitiarum possessioni, & num
χρήσις præstet κτήσει? A.*

Aristot. ipse lib. 4. de moribus c. 1. hanc format quæstionem, & ut è textu patet, sex argumentis affirmativam, quam fecimus nostram propugnavit, Num. enim 25. h. c. ita arguit, *omnis virtutis magis proprium est agere, dare, & occupari in actione, quàm in passione*, verba ejus hæc sunt, τῆς δρετῆς γδ μαλλον δεῖ τε εἰλωθεῖν τὸ διδόναι οἷς δεῖ ἢ λαμβάνειν ὅθεν δεῖ. At liberalitas & virtus. E. 2. *probat è contrarijs*, quia quod majorè laudem meretur, præstat eò, quod minorem meretur. At δόσις E. 3. Ea liberalitas cui gratia habetur illustrior & major habetur. At δόσις habetur. E. 4. *desumit è cõmuni plebis calculo*, qui liberales dicit nō accipientes, sed dantes. 5. *quia χρήσις maximè diligitur*. 6. *quia χρήσις, nomen virtuti binc indit*, si benè divitijs uteris liberalis es. Solutio verò, & sensus quæstionis, ex hisce pendet 1. quod divitiæ spectētur 1. *ut χρήματα*, quæ cōsideratio, uti tempore quidem posterior, sic certè dignitate prior: ut notat Theodor. Zwing. in l. 4. Arist. de morib. 195. *vel. 2. ut κτήματα & possesse*. Pro dignitate usurpationis & divitiarum in usu consideratarum; pugnant argumenta, sed nō eo in sensu quo Timpler. Is enim lib. 3. Ethic. c. 19. 4. 2. 18. hisce expressissimis & conceptis verbis negat, liberalitatem ulla ratione in acceptione versari. Sed rationibus, quibus contra Timplerum pugnare solent authores omiſſis, & conflictui reservatis, respondemus 11. *cum Clarissimo Dn. Siebenthal in Colleg. Ethico Exerc. 6. p. 103. beneficiarios dupliciter spectari 1. non tantum respectu benefactoris, verùm etiam ratione sui*, in quantum mediocritatem servant in accipiendo, comparate E. saltè, liberalitatē in dando tantùm consistere asseritur, scil. quod in acceptione liberalitas tantoperè se nō manifestet, quod forte inde, quia nostro in primis seculo, rara ad modū suppeditatur à liberalibus in dando materia, unde in accipiente discretionem observate, possit

possit

possit animadverti, nec quicquam huic nostræ sententiæ, contrariatur opinio aut consuetudo vulgi, rarò aut nunquam accipientes liberales denominantis. Valet enim ibi communis regula, loquendum cum vulgo, sentiendum cum doctis. III. Acquisitionis major quidem difficultas; splendidior, utilior tamen, & majorem laudem meretur, legitima juxta liberalitatis leges usurpatio.

QVÆSTIO III.

Utrum omnia cadant sub liberalitatis objectum, & num omnia sint communia, numq; quodlibet, absq; discrimine communicari possit? N.

Affirmativa adscribitur Platoni; ut & manifesta hujus rei deprehenduntur vestigia lib. 9. n. d. ll. eam civitatem prædicat felicem, quæ non curat meum & tuum, oppugnatur verò à discipulo Aristotele scil. lib. 2. de Republ. c. 4. ubi multis argumentis, hanc communionem, ut omnium sic & uxorum profligat. Desumit verò rationes, partim ab adjunctis, effectis; partim modo ipso; quædam E. saltem ex eò repetemus, 1. tollit communitio hæc distinctionem flagitiorum, parricidij. Nam si parenti filiam amatorijs officijs prosequi concedit, tollitur reverentia in parentes, & exaggeratio sive gravitas delicti exulabit. 2. parentum amorem in liberos evertit, & cum eò educationem totam. 3. Præstare, alios in Republica esse discordes, agricolas scil. ne cõspirent contra Magistratũ. 4. Modũ educationis ponit prorsus impossibilẽ. Loco solutionis hic pensitanda damus. *Distincta esse, rei cujusdã usum, & possessionẽ alicui vendicare, aliã usus in republ. rerũ licitarum laudatur, & liberalitatis nomine salutatur, sed possessionem sibi velle ex usu vendicare, summè iniquum esset. e. res quia sunt biformes, quarundam enim possessio est illicita & inhonesta, alia licita & laudabilis, in rebus illicitis, v. g. venenum ad internecionem, puero gladium supeditare, quid est aliud quàm crudelitatem suam insigni facinore testari. Inter licita verò numerant Politici, ut Clariss. Dn. Hebenbenthal in Polit. Colleg. Ex. 2. p. 41. 1. Præmia & pœnas, 2. æraria & pascua. 3. templa & religionem. 4. mania & ædificia publica. suffragia, ut hæc collegit Bodin. lib. i. de Republ. p. 16. & ex eo cit. auth. 3. Aliud est particulare quoddam institutum, ipsa exigente necessitate ab omnibus approbatum, & in Ecclesiæ fundatione observatum, de quo Act. 4. & 5. Aliud verò mandatum generale, quo omnes*

omnes

omnes in Ecclesia constituta, sine periculo viventes teneantur, prius agnoscimus, posterius detestamur.

III. Πορίσματα.

I. Beneficia mensurat animus. Arist. lib. 4. Ethic. c. 1. Juxta monitum scil. Apostoli Rom. 12. qui miseretur misereatur in humilitate. Hinc Ludovicus undecimus Galliarum Rex, cum peregrinaretur apud Burgundiones, rapas, quas ei Canon apposuerat, & postea muneris loco, in aulam attulerat, non solum inter Charissima reponi, sed mille coronatis eidem remunerari jussit, Erasmi in Colloq. p. 258.

II. Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum gratum erit, ingrati gratia tarda facit. Est itaq; liberalis similis arbori, quae pomis gravida, ramos demittit, & invitat ad carpendum. Qui dolet cum Tito Vespasiano juxta Svetonium, diem effluxisse, quo non se ostenderit liberalem, aliter certe ac Antigonus Rex, de quo Senec. lib. 2. c. 17. & Plutarch. in Apophth. Regum & Imper. refert, cum Cynicus petisset talentum, respondit ille, plus illum petere ac deceret, mox cum idem peteret donarium, respondit Antigonus, munus esse, minus quam deceret Regem. Sic E. tergiversando elusit miserum. Rectius Cimon, qui & septa borto detraxit, ut liberè sumerent poma. Plut. in Cim. Ath. lib. 12. c. 15.

III. Dati beneficij oblivisci, sed accepti meminisse oportet, inquit Chilon apud Lacerium lib. 1. c. 5. Ficus scil. non floret, licet fructus habeat dulcissimos. Juxta Plinium lib. 1. c. 26. Et liberalis sinistra ignorat, quid erogat dextra, Matth. 6. Diogenes predicantibus aliquibus benignitatem, solet respondere, plus est meruisse beneficium, quam dedisse. Laert. lib. 6. Judicat scil. liberalis, melius esse ditare, quam ditescere, Ælianus v. hist. lib. 13.

IV. De te largitor puer. Terent. Adelph. Act. 5. Scen. 8. insigniter fatuum E. & extremè impudentè ac imprudentè fuisse Alexandrum VI. Pontificem necesse est, qui Anno 1462. insulas novas, motu proprio ex equo bifariam secuit, & partem earundem, quae in Orientem Portugaliae, illam quae in occidentem vergit Castiliae Regi adjudicavit. Vid. Benzo lib. 3. hist. nov. orbis c. 3.

F I N I S.

Coll. diss. A. 12, misc. 49